



Viti Amerbachij in artem poëticam Horatij commentaria.

<https://hdl.handle.net/1874/456607>

3

VITI AMER
BACHII IN ARTEM PO
ēticam Horatij commen
taria,



ARGENTORATI M. D. XLIII.

Cum Gratia & Privilio Cæsareo.

AMICVS AD AV^e
thorem.

Carpitur in uiuis uirtus, post fata quiete
Viuere cum grata posteritate solet.
Fortiter interea duros perferre labores
Te decet, atq; tuis nos cumulare bonis.
Tempora nos alijs sed longa precabimur omnes
Vitæ, Vite, tuæ, propitiumq; Deum.

Idem ad lectorem.

Hoc lector candore legas, relegasq; libellos,
Quo dat eos docti Musa benigna uiri,
Qui, studijs quo plus fructus communib. affert.
Hoc debet cunctis carior esse bonis.
Induit utilitas merito sibi nomen honesti,
Quæ de priuato publica facta bono est.
Hac igitur non parte minus uenerabilis ille est,
Qui facili multis commoda mente parit.

VITUS

VITVS AMERBACHI,
us Bonauenturæ Roslero Gor-
litsensi s. D.



Riennium ferè nunc est,
cum libellum Horatij de
arte Poëtica publicè hīc
enarraui, & quia uide-
bar & alijs, & mihi non malam in
conscrībendis, & dictandis annota-
tionibus operam nautafse, ac ideo
facturus, quod pluribus in commu-
ne esset, non nihil profuturum, si cu-
rarem, ut dispersæ latius extarent,
non quidem certè sapientibus, aut
eruditis ualde, sed pueris, & illis im-
peritioribus, non potui hanclucus
bratiunculam diutius premere, a-
deoç tineis tantum, & blattis arro-
dendam relinquere. Quanquam au-
tem & aliorum ueterum etiam ex-
positiones huius libelli habentur,
cum tamen haud mihi satisfaciant

A ij in

in omnibus locis, & horum alijs breuius, alijs prolixius, alijs non ea ratione, quæ iam est usitata in scholis, eum enarrauerint, putauit meam quoq; sententiam non iacommoda deaudiri posse, quam ita studui temperare, ut nihil temere, quod ab alijs expositum esset, reprehenderem, & quæ iudicarem addenda esse, adderem, quæq; aut ab alijs obseruata essent, aut non multum ad rem pertinerent, omittiterem: Ac in hoc singulariter incubui, ut obscuriores locos illustrarem, præcipue, quod ad sim plicem, & puerilem sensum attinet, ac rationem quandam sermonis, quæ, ut in alijs omnibus habet proprium quiddam, ita in hoc Poëta non paulo durior est, ac obscurior. Sed interim, dum hoc meditor facere, non paruæ difficultates occurruunt mihi. Cogito enim quām sint exasperata, & exulcerata hæc tem-

tempora, in quibus non modo elo-
qui, & scribere, que sentias apud ani-
num, non sit tutum, sed etiam nutu
propemodum, & gestu significare,
ne dicam etiam cogitare. Ac inde
sunt tot conuicia, tam inhumanæ ex
postulationes, insectationes plus
quam barbaricæ, maledicta inaudis-
ta, ut de iocis aliquando scurris etiā
indignis taceam. Ethæc omnia in-
ter Christianos, ac in tractatione res-
rū sepe grauissimarum. Verenunc
est ètas illa ferrea, de qua Poëtæ scri-
bunt, ac fugere pudor, uerumq; si-
desq;

In quorum subiere locum fraudesq; doliq;
Insidiæq; & uis, & amor sceleratus habendi.

ut inquit ille. Quis iam non audit
frequenter hæc tragica, hæreticus,
Epicureus, impostor, blasphemus,
& alia non dicenda? Iam qđ non ra-
rò iudicant, & damnant uel hos, uel
illos imperiti, οὐ πεινάμενοι οὐ κροκῶσι,

A iñ quod

quod & in familia, non modo in iis
dicijs Reipub. fieri consuevit, quo-
modo non uideatur esse ut turpis-
sum, ita etiam perniciosissimum.
Quis autem serio studet remedium
his tantis malis afferre? Quasi uero
non possit esse Ecclesia sine his ue-
lut procellis intestinis, & ciuilibus
tempestatibus. Utinam exoriretur
aliquis uel Constantinus, uel Theo-
dosius, uel Martianus, qui tandem
his turbis imponeret aliquid pium,
& dignum Christianis hominibus
silentium. Quod iamduum nobis
multi persuasimus de Carolo no-
stro Imp. qui non paru etiam in hac
re laborauit hactenus, & non des-
nemus in eo mentem, constantiam,
& successum, qualia fuerunt in illis
Imp. expectare. Felicissimum dice-
rem illum diem, & non tantum si-
gnandum albo lapillo, sed totum
deaurandum, & exosculandum.
Quan-

Quanquam autem res uideretur ad exitium spectare, non tamen ego de sinam & uotis assiduis optare concordiam, & spe pertinace pacem expectare tantisper, dum uiuam, idemque censeo faciemus esse omnibus prijs, uti haud dubie faciunt, ac magis, quam ego uel intelligere, uel suspicari possum. Non enim desunt exempla in historijs, ubi post longas, & grauiores iactationes tranquillitas, & pax tamen est tandem ecclesie restituta. Verum hec longius excurrerunt mihi, quod proposueram. De meis difficultatibus inceperam di cere, quas quia semel adire cepi, uix nunc possum ab eis pedem referre, ac sane, ut alia quedam, ita hoc opusculum qualecunq; est, fortunae committo: Precor ei tamen illam propitiati potius, quam uel aduersam, quod esset aut stulticie, aut crudelitatis, uel neutram, quod uel negli-

A iiiij gentiam

3 E P I S . N V N C V P A T.

gentiam, uel contemptum argueret, ac nondum totam spem de felici euentu abieci, ad quod tuum Bonauentura studium, & beneuolentia non habebit nullum pondus. Nam si tibi placuisse meum laborem intellexero, & si durius alicubi exceptus fuerit, putabo tamen illi non omnino deesse commodum hospitem, quem etiam hac epistola me cum huius libelli uelut cōmunem defensorem constitutum uolo. Sic enim erga me hactenus te gessisti, eo studio me prosecutus es, ut non possim de te mihi non summam beneuolentiam, amorem, & operam polliceri. Vale, datum Vuitteber
gæ v. Calend. Septemb.

An. Do. 1542.

In ar-

IN ARTEM
POETICAM HORATII
commentaria.

P R A E F A T I O .



On est ignotus poëta pueris etiam Horatius. Quare nihil est opus de illo multum uerbo rum facere, præsertim cum sint, qui hoc fecerunt, in promptu, nec uehementer hoc faciat ad intelligendum opus quod instituimus exponere. Quanque plerique ualde sunt in talibus rebus occupati, ac interim aut prorsus omittunt, aut leui ter admodum attingunt ea, quæ officium interpretis requirebat. Non reprehendo cuiusquam diligentiam, sed habendum esse delectum censeo, ac ita rem agendam, ut hæc illis in tractando præponantur. Vim enim & sententiam suscepit operis explicare præ-

A v cipu-

cipuum est, et hoc omnes cogitationes, diligentia, conatus, & studium interpretis debent referri singulariter. Monet in hoc poëmate Horatius multa utiliter, & docet uolentem fieri poëtam, idque uel titulus operis indicat, non tantum tradens præcepta scribendorū poematum, quæ uaria sunt, præcuiusque natura, sed una, & non minore diligentia reprehendens uicia, pro ut conuenit, cum sint evocatae legætæ παρ' ἀλληλα τιθέντες, ut inquit Aristoteles, atque ab ea sa ne parte incipit opusculum. Non autem legi debet ideo tantum, ut discamus poemata facere, cum in eo genere hoc tempore per pauci uersentur, & si qui uersantur, serè tam in componendo aut Heroico, aut Elegiaco, aut Lyrico uersantur, sed etiam com ponendarum orationum, scribendarum epistolarum, interpretandorum, & concili andorum ueterum authorum, quod serè solet his temporibus ab eruditis fieri, historiam, aut alia similia faciendi gratia. Multa enim hic generalia præcepta continentur, quæ non minus alijs scribentibus obseruan dasunt, quam Poëtis, ut de contextendis re cte partibus operum, de apte scribendo, & uitanda cocozelia, de metaphoris, de nouan dis

COMMENTARIA

11

dis uocabulis, & similibus alijs. Et propter
has quidem caussas, maxime legendus est
hic libellus. Deinde sunt etiam aliæ, præser-
tim his nostris seculis, in quibus magna est
doctrina, linguam tantum latinam utcunq;
& non barbare prorsus intelligere, ac usur-
pare posse, uocabula, phrasis, quæ tametsi
non est in hoc scriptore optima, latina ta-
men est, & digna, qua utamur in loco, sen-
tentiae, similia, exempla, & figuræ. Non
enim ita iejunus, & aridus est Horatius, ut
nonnullis uidetur, nec frustra conseruatus
ad hæc nostra usq; tempora, sed non habet
opus meo præconio, aut defensione. Ad
præcepta nos potius conferemus, quæ reci-
tabimus ordine, & non exponemus ambi-
tiose, permittemus hoc ociosioribus.

Humano capiti ceruicem pictor equinam
lungere si uelit, & uarias inducere plumas,
Vndiq; collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa supernè:
Spectatum admissi risum teneatis amici?
Credite Pisones isti tabulæ fore librum
Persimilem: cuius uelut ægri somnia, uanæ
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ.

Incipit

Incipit opus à descriptione monstri,
quod componit ex diuersorum animanti-
um partibus, ut ostendat fœditatem carni-
nis, quod similiter est congestum ex mem-
bris non consentientibus, & pugnantibus
inter se natura. Atq; ita non significat uicio
sam dispositionem, sed monstruosam compo-
sitionem, ut uicum inuentionis, ac materię.
Talia sunt in Poetis Centauri, Chimera,
Scylla, Minotaurus, in natura hominis bici-
pites, & alia, quę monstra, seu portenta, com-
munis lingua appellat à præsignificandis
rebus futuris; Physici proprias causas tan-
tum considerantes uocant errores naturæ.
Illustris est hæc similitudo, & non obscure
demonstrat materię uicum tantum nota-
ri, non despositionis, quam nonnulli nunc
malunt œconomiam appellare Græca uo-
ce, cum non desit latina. Huc etiam altera si-
militudo facit de somnijs ægri. Ut autem
horum somni sunt inæquales, & interrupti,
sic etiam non cohærent somniorum par-
tes, hoc est ex diuersis naturis constant pluri-
mum, hoc enim est, quod dicit, nec pes,
nec caput uni reddatur formæ, hoc est, ut
pes non sit eiusdem animantis, cuius est ca-
put. Ac forma significat hic speciem exter-
nam

nato unius animantis, & simplicis, ut sic dicam, id est, non degenerantis à sua specie in illa parte. Sic etiam Lucianus præcipit in libello de scribenda historia, & unā simile monstrum depingit his uerbis, χρὴ δὲ μὴ οὐ τεος, ἀλλ’ ὅμοια τὰς πάντας, οὐδὲ ὅμοια τοῖς πεφαλήσιοῖς ἄλλο σῶμα καθε, ὡς μὴ χρυσοῦμεν τὸ κεφάλος εἴη, θώραξ δὲ πάντα γελοῖος εἴη φανῶμα ποθέμεν, οὐδὲ πλευρῶμα συγκεκατέλυμένος, οὐδὲ πάντας διστίνχος, οὐδὲ χοιρίνη πόθι ταῦς κνήκας. &c.

Pictoribus, atq; Poëtis,

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Scimus, & hanc ueniā petimusq; damusq; uicissim.

Sed non ut placidis coēant immitia: non ut

Serpentes auibus geminentur, tigribus agni.

Est occupatio, id est, responsio ad hoc, quod obijci poterat. Poterat autem obijci quod Poetarum sit magna libertas, aut licentia. Respondet per quandam concessio- nem, fateor, sed modus tamen quidam debet seruari, & nihil faciendum est, quod à na- tura abhorreat. Quanquam Lucianus di- cat, unam legem Poetę esse, τὸ πόλεμον. Quod tamen

14 IN ARTEM POETIC.

tamen facile potest cum hoc Horatij præcep-
to concordari. Si addatur, quod est in Lu-
ciano, poetam esse ἐνθεού νόμον κάτοχον τὸν
μυστῶν. Quod ex Platonis Ioue mutuatus
est.

Incepitis grauibus plerisque, & magna professis
Purpureus, latè qui splendeat, unus & alter
Adsuicit pannus: cum lucus & ara Diana;
Et properantis aquæ per amoenos ambitus agros,
Aut flumē Rhenum, aut pluuius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus: & fortasse cupressum
Scis simulare. Quid hoc? si fractis enatat expes
Nauibus, ære dato, qui pingitur? Amphora cœpit
Institui, currente rota cur urceus exit?

Non est nouum hic præceptum, sed per-
tinent hæc ad præcedentia. Recitat autem
exempla Horatius, in quibus illam sœdia-
tem compositionis ostendit, ac sunt uelut ac-
commodatio præcedentis similitudinis, quasi
diceret, sicut pictor, si iungat equi ceruicem
humano capiti &c . merito rideretur, ita ri-
dendus est poeta, qui cum instituit rem gra-
uem, & magnam describere, delabitur in ali-
quem puerilem, & tenuem locum, in descri-
ptionem rei paruæ, & ad uoluptatem tan-
tum, ac delectationem comparatæ, ut sunt
ferè

serè digressiones in Poetis, & alijs scriptoribus; non quod non liceat in grauioribus etiam scriptis aliquando uelut remittere stylum, & in locum amoëniorem expaciari, sed quod non fiat ab illis in loco, aut interim in instituta materia non pertractetur, aut potius ad incepturnon redeatur, sed desinatur in aliud humilius, quam est inchoatum, & propositum. Et hoc est, quod dicit, Amphora cepit institui, currente rotacur urce us exit. Est enim uas longe maius, & nobilis amphora, quam urceus.

Deniq; sit quod uis, simplex duntaxat, & unum.

Conclusio primi præcepti, quæ clare ostendit, hactenus tantum unum præceptum, & id quidem de sola uitanda monstrosa compositione inuentæ materiæ tractatum esse. Nam simplex est, quod constat partibus natura cōsentientibus, ut homo, cuius omnes partes sunt humanæ. Duplex, quod ex duarum naturarū, seu specierum partibus est cōpositum, ut Centauri, qui ex homine, & equo sunt conflatī, & propterea *Δυψης* ab Ilocrate appellantur. Triplex, quod ex triū Multiplex, quod ex multarum partibus est consutum. Sic de alijs. Vnum est idem, quod

quod simplex, nec pertinet hoc ad ordinem,
seu dispositionem, cuius uitium non efficit
duplicitatem, aut multiplicitatem, seu per-
turbationem, seu confusionem.

Maxima pars uatum pater, & iuuenes patre digni,
Decipimur specie recti. breuis esse labore,
Obscurus si. sectantem leuia nerui
Deficiunt, animi:q; professus grandia turget,
Serpit humi tutus nimium, timidusq; procellæ.

Secundum præceptum, quod de generi-
bus orationum docet, quæ sunt humile, me-
diū, & grande, quorum tractationem ha-
bes & alibi, & in oratore perfecto. Vult au-
tem præceptum, ut aptemus uerba, & ora-
tionem rebus, & grandia magnifice, humili-
lia sedate, media grauiter efferamus, aut po-
tius, ne in cognata uicia prolabamur, quan-
quam sit hoc facere procliue. Horatius uide-
tur quatuor facere, sed breue aut idem est,
quod humile, aut sparsum quodāmodo in
alia omnia. Per, sectantem leuia, id est poli-
ta, & ornata, intelligit mediocri genere uten-
tem. Valet autem subtile in probando, mo-
dicum in delectando, uehemens in flecten-
do, ut ait Cicero, mutatis communibus ap-
pellatio-

pellationibus . Tutus nímíum timidusqe
procellæ, est , qui non audet se aliquando at
tollere, quod etiam in humili generelicit a-
liquando , sed humi serpit. Et hoc est, quod
dicit Quintil. Ita dum timent, ne aliquando
cadant, semper iacent. Et Pli : Iun : Item fre-
quentior currentibus , quām reptantibus
lapsus , sed his non labantibus nulla laus, il-
lis nonnulla etiamsi labatur. Sicut autem
in moribus uirtutibus cognata sunt uicia,
ut alicubi Cicero dicit, nihil uirtutibus esse
tam cognatum, quām uicia, ita in oratione.
Hoc est , quod sæpe decipimur , & ferē ipsi
blandimur nostris uicijs, & uirtutum nomi-
na imponimus, ut Persius de matribus testa-
tur, quod corporū uicia mutent in uirtutes
nominibus . Obseruari debet in his uerbis,
breuis esse labore, ellipsis particulæ Si .

*Qui uariare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum syluis adpingit, fluctibus aprum.
In uitium dicit culpa fuga, si caret arte.*

Hyperbaton est in hoc loco , ut Linacer,
ut alia solet, erudite sentit, ac pertinet prodi-
gialiter, ad uerbum appingit, non ad uaria-
re. Est autem tertium præceptum, quod de
moderanda rerum uarietate monet . Est

B enim

enim μεταβολὴ τὸν τῶν γλυκὺν, ut inquit Euripides, imò sāpe necessaria propemōdum, id quod norunt īj, qui sāpe de ījsdem rebus apud eosdem homines docuerunt, & intelligunt qui hoc obseruarunt in doctori- bus. Constat autem uarietas partim in uer- bis, & orationibus, partim exornationi- bus, quas figurās Latini, Grēci uocant Sche- mata, ut sit huius loci sententia per similitu- dinem, sicut pictor prodigiosam tabulam faceret, ac peccaret grauiter, si uarietatis gra- tia Delphinum in syluis depingeret, qui in aquis degit, & in aquis aprum, qui degit in syluis: ita peccaret Poeta, qui tractans ean- dem rem non apte aut in loco, aut contra, quam iudicium eruditōrum approbat, de- scriberet, uariandi poematis, & ita, ut sit, le- uandi tedi causa: recitatur hēc figura, Del- phinum syluis &c. inter prouerbia, sicut illa præcedens, Simulare cupressum.

Aemylium circa ludum faber Imus, & ungueis
Exprimet, & molleis imitabitur ære capillos.
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet. hunc ego me, si quid componere cūrem,
Non magis esse uelim, quam prauo uiuere nāso,
Spectandum nigris oculis, nigroq; capillo.

Quar-

Quartum præceptum de consentientia, si
nis cum reliquo opere, non in diuersæ natu
ræ partibus, ut in primo præcepto, sed de
magnitudine, & alijs accidentibus: Latini
proportionem, Græci συμμετρίαν uocant.
Non autem, ut hoc etiam admoneam, ubique
simpliciter, & pueriliter præcipit, sed osten
dendo saepe tantum uicia, quod est in tali
bus poematis consuetum, adeoque uarie, ut
facile non prorsus hebes lector animaduer
tit.

Sumite materiam uestris qui scribitis æquam
Viribus: & ueritate diu, quid ferrere recusent,
Quid ualeant humeri. cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis hæc uirtus erit, & Venus, aut ego fallor,
Ut iam nunc dicat, iam nunc debentia dici,
Plæraque differat, & præsens in tempus omittat.
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis author.

Vt non eadem sunt hominum ingenia,
sic res non sunt eadem, sed aliæ sunt alijs ob
scuriiores, difficiliores, & grauiores. Hic
itaque iubet Poeta quenque scripturum ali
quid ingenij uires metiri, & pro illis mate
riam sibi deligere, ne, si maiorem sumat, in
scribendo concidat, si minorem, indignum

B ij se opus

se opus faciat. Sequuntur hoc studium duo
commoda, eloquendi uis, & ordo. Nam,
qui rem suis uiribus conuenientem elegerit,
& de ea cogitauerit diligenter, facile tum
uerba, tum orationes illi incident, sicut alibi
dicit, Verbaq; praeuisam rem non inuita se
quentur, & in suum quęq; locum uel sua
sponte uenient, ne turbetur aliquid in ordi-
ne. Sicut autem hoc fieri solet in carmine,
ita etiam debet fieri in alijs omnibus scri-
ptis, estq; hoc etiam unum ex generalibus
præceptis, nec est difficile uidere in experi-
endo, quæ quibus melius, & rectius possi-
mus tractare, & præceptores discipulos pri-
uatim admonere de hac re debent. Addita
est ordinis hic etiam obiter uelut definitio,
ut in uersu, Hoc amet, hoc spernat, &c. aut
repetitio huius quinti præcepti, aut præce-
ptum insertum, sed etiam obiter de ordine,
ut sit sententia, hoc amet, id est, iam dicat
iam dicenda, & hoc spernat, id est, differat,
quæ sunt differenda.

In uerbis etiam tenuis, cautusq; serendis
Dixeris egregie notum si callida uerbum
Reddiderit iunctura nouum, si forte necesse est
Indicijs monstrare recentibus abdita rerum, &
Fingere

COMMENTARIA 21

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis,
Continget, dabiturq; licentia sumpta pudenter.

Sextum præceptum, est de Metaphoris.
Quid autem sit metaphora, quid ordo, & si
miles res, ex Cicerone, & Quintili: dici de-
bet. Cum dicit, in uerbis tenuis, cautusq; se-
rendis, uult non temere nouas dictiones fa-
ciendas esse, potiusq; factis nunc utendum
per translationem, quæ etiam est quædam
uocis nouatio, quam de novo confictis, ni-
si necessitas hoc aliqua postulet. Bombar-
da, & Taratantara sunt prorsus nouæ, fides,
crux in Theologia sunt usu, & per quandam
translationem nouæ. Ac est sane in omni-
bus linguis plurimum translationum, &
hoc partim ob alias causas, partim, quia uo-
cabula sunt finita, res autem infinitæ, ut ali-
cubi Arist : dicit. Cinctutis hic dictum est
pro cinctis per Epèthesin, ut est hoc Ouidij
in Fast.

Semicaper coleris cinctutis Faune Lupercis.

Et noua, fictaq; nuper habebunt uerba fidem, si
Græco fonte cadant parce detorta. Quid autem
Cæilio, Plautoq; dabit Romanus, ademptum
Vergilio, Varioq; ego, cur acquirere pauca

B ij Sipos

*Si possum inuidor? cum lingua Catonis & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & nouarerum
Nomina protulerit? Licuit, semperq; licebit,
Signatum præsente nota producere nomen.*

Aliud præceptum de modo, & ratione faciendi noua uocabula. Fiunt autem recte dupliciter, aut cum à Græcis molliter deruantur, aut à Latinis uocibus, sic à Græcis φήμη, κν βέργη ἄρι, fama, & guberno, & quod ad terminationem attinet, pitillo à τίταν, item per imitationem, & sic uidetur hic locus intelligi præcipue debere ex xv. cap. η. li bri Quint. ut essentia, & entia, ut sunt Græcis οὐσία, & ὕψη. A Latinis, qualis, beatitudo, ab esse apud Quint. ens, essendi, essendo, essendum. Apud recentiores omnis generis scriptores infinita fuit hæc licentia, ut est apud Philosophos entitas, enter, quidditas, infinites, causalitas, apud Dialecticos prædicatum, prædicamentum, passio, & quiuocum, uniuocum, apud iurisconsultos, saluum conductum, diffidatio, apud Theologos uolitio, filiatio, iuramentum, sed quis enumerare queat omnia? Sunt hæc magna ex parte reñienda, & explodenda propte

propterea, quod per negligentiam, & contemptum latinæ ueteris linguae, conficta sunt, cum non deessent uetera, & usitata, aut quod à Cicerone, & ab alijs bonis scriptoribus est factū, circūscribi possent. Et hęc quędem à Latinis deriuata sunt, ideoq; minus habent uicij, de quorum numero est etiam inuideor, quo hic est noue usus Poeta, Guerra autem, frasca, trufa, & similia, delicię quo rūndam his quoq; temporibus in Scythiam aleganda essent, ac legibus prohiberentur, si essent hæ liberæ, & non ab indignis sua authoritate hominibus barbarice conspurcarentur.

Ut syluæ folijs pronos mutantur in annos,
 Primæ cadunt, ita uerborum uetus interit etas:
 Et iuuenum ritu florent modo nata, uigentq;
 Debemur morti nos, nostraq; siue receptus
 Terra Neptunus, classeis Aquilonibus arcet,
 Regis opus: sterilis uè diu palus, aptaq; remis
 Vicinas urbeis alit, & graue sentit aratum:
 Seu cursum mutauit iniquum frugibus amnis
 Doctus iter melius. Mortalia facta peribunt,
 Nedum sermonum stethonos, & gratia uiuax.
 Multa renascuntur, quæ iam cecidere: cadentq;

B iiiij Quæ

*Quæ nunc sunt in honore uocabula, si uolet usus,
Quem penes arbitriū est, et uis, et norma loquendi.*

Similitudo, qua causa præcedentis præcepti exponitur. Nam ideo nouis dictiōnibus licet uti, quod natura hęc sit earum, ut rerum etiam, ut non durent in eodem statu. Quare inepte Longolius, & alij nonnulli peruerse Ciceroniani per omnia uocabula Ciceronis orationem his temporibus, cum & mores, & Rerumpub. formae, adeoq; rotius uitæ ratio, ex magna parte una cum ipsis rebus non paucis mutata sint, uoluerunt exprimere, & merito sunt reprehensi tales ab Erasmo Roterod. Si, ut etiam Cicero facetur, quælibet artes habent propria uocabula. Quare non permittentur, præsertim religioni Christianæ, quæ prorsus noua est, in latina lingua, suæ uoces, & phrasis, modo absit barbaries, id est, uetus latinitas adhibeat, quantum potest fieri commode. Puto autem ex Erasmo huius rei exemplum præcipue debere peti, ut, qui et ingenio plurimum ualuerit, & fuerit cum Theologiæ præclaræ doctus, tum literarum humaniorū studiosissimus. Huc etiam pertinet sequentes uersus, quorum initium est,

est, Debemur morti, &c. Sunt autem exempla à maiore generaliter, & specialiter, si enim nos & nostra opera (& hactenus generaliter) siue paludes siant ex aridis, siue arida ex paludibus, quæ non nisi potentissimum sunt opera (& haec sunt specialia) non manemus, sed ut orti sumus, ita occidimus, longe minus eadem uocabula poterunt in eodem usu perpetuo manere, Sicut etiam Quintilia: dicit. Vocabula usu ualeare, ut nummos. Verum his postremis saeculis, postquam latina lingua desit esse uernacula, nequaquam ita locum habet hoc dictum, & contenti esse debemus ueteribus & uocabulis, & orationibus, quantum rerum ratio patitur, & nullo modo aliquid uel mire, uel innouare temere, aut sine magna quadam necessitate, si uolumus uideri mediocriter modo latine loqui, & scribere.

Res gestæ, regumq; ducumq; et tristia bella
Quo scribi possent numero, monstrauit Homerus.

Octauum præceptum, quod iubet carmen Heroicum fieri ad imitationem Homeri, simul autem de materia huius carminis indicauit, quod regum, & principum facta eo genere describantur. Quæ pertinent ad

B v exactam

exactam cognitionem huius carminis, ut
sunt uariæ appellationes eius, differentiæ,
pedes, aliunde sumi debet, ac facile possunt.

Versibus impariter iunctis querimonia primi,
Post etiam inclusa est uoti sententia compos.
Quis tamen exiguos Elegos emiserit author
Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est.

Quæ res tractari debeant Elegis docet,
ac dicit incertum eius authorem esse. Non
autem hic addidit, ut in proximo præce-
pto exemplum, quod imitemur, nec erat sa-
nè tam insignis author in hoc genere, ut in
superiore Homerus apud Græcos, quos il-
lis temporibus in primis sunt imitati. Nos
Catullum, Tibullum, Propertium, & Oui-
dium habemus, Eobanum etiam ex recen-
tioribus propemodum ueteribus illis pa-
rem.

Archilochum proprio rabies armauit Iambo.
Hunc focci cepere pedem, grandesq; cothurni,
Alternis aptum sermonibus, & populareis
Vincentem strepitus, & natum rebus agendis.

Decimum præceptum, in quo proponit
nobis imitandum Archilochum. Est autem
Iambicus uersus aptus etiam Comoëdijs,
& Tra-

COMMENTARIA. 7

& Tragoedijs, ut & hic indicatur. Olim peculiarem habuit materiam, conuicia, & maledicentiam, cuiusmodi ferè Martialis in suis Epigrammatis nonnunquam usurpat, & Ouid. in Ibin, alio tamen uersus gene-

re.

Musa dedit fidibus diuos, puerosq; deorum,
Et pugilem uictorem, et equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera uina referre.

Eodem modo, id est obliquè, aut docendo præcipit de carmine Lyrico, exemplum eius est in Pindaro & Horatio.

Descriptas seruare uices, operumq; colores
Cur ego, si nequeo, ignoroq; Poëta salutor?
Cur nescire pudens prauè, quam discere malo?
Versibus exponi Tragicis res Comica non uult.
Indignatur item priuatis, ac propè focco
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.
Singula quæq; locum teneant sortita decenter.

Generale præceptum, quod partim est natum ex præcedentibus, & iubet illo usitato more, hæc argumentorum discrimina seruari, quæ uices, & colores uocat, partim addit, nonnulla de genere orationis distingendo

guendo, & accommodando ad suam quodque materiam, sed ipse rem tractauit exemplis Comœdiæ & Tragœdiæ, hoc est generale specialiter. Est cognatum præceptum cum secundo, & pertinet ad locum Rhetorum de apte dicendo.

Interdum tamen & uocem Comœdia tollit;
Iratusque Chremes tumido delitigat ore.
Et Tragicus plœrunque dolet sermone pedestri.

Aliud præceptum cognatum isti. Vult enim ita seruari hoc præceptum, ut permittentur inter se uerba, orationes, & figuræ poëmatum. Nec semper esse utendum in grandi materia humili genere, in humili grandi. Quod sit propter cognitionem rerum, unde sumendus est usus huius præcepti maxime,

Telephus & Peleus, cum pauper & exul uterque
Proiecit ampullas, & sesquipedalia uerba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.

Est exemplum superioris præcepti, non præceptum de pronunciatione, quod ipse postea uelut exponit, cum dicit, Tristia mœstum uultum uerba decent, iratum ple-
na minarum, &c.

Non

COMMENTARIA. 59

Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunt
 Et quocunq; uolent, animum auditoris agunto.
 Ut Tridentibus arrident, ita flentibus adsunt
 Humani uultus. Si uis me flere, dolendum est
 Primum ipsi tibi: tunc tua me infornia lalent.

Hi etiam uersus tantum exponunt praece-
 dens præceptum, quod uires etiam, robur,
 ac neruos debeat habere poemata, non tan-
 tum ad ostentationem esse composita. Et
 quanquam hoc late patet, tamen ad hoc præ-
 ceptum poeta præcipue spectauit, ut ora-
 tio rebus, & materiæ conueniat. Sunt au-
 tem in eo uires, quando mouent, et afficiunt
 cum uoluptate quadam. Sicut alibi dicit.
 Aut prodelle uolunt, aut delectare poe-
 tæ, &c. Quod sit maxime in fabulis, qua spe-
 cie usus est hic pro genere, sicut enim in fo-
 tensibus actionibus, qui uult afficere, prius
 ipse debet affici, ita in poematis, maxime
 Tragoedijs non afficit, qui frigida, & langui-
 da oratione, aut non conueniente cum re-
 ipsa uititur. Ut Tridentibus, &c. Causa præ-
 cepti.

Telephe uel Peleū, male si mandata loquēris,
 Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia mœstum

Vultum

50 IN ARTEM POETIC.

Vultum uerba decent: iratum, plena minarum:
Ludentem lasciuia: seuerum, seria dictu.

Amplificatio à contrario cum ijsdem ex
emplis, & explicatione præcepti, ut est an-
te ostensum.

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum, iuuat, aut impellit ad iram:
Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit.
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absonta dicta.
Romani tollent equites, peditesq; cachinnum.

Alia ratio præcepti ab efficiente sumpta,
sicut præcedens est à sine. Ita enim sit natura,
ut oratio congruat affectibus, ac addit ter-
ritiam tanquam causam ab incōmodo seu pe-
riculo, quod irrideantur, qui aliter in poe-
matis loquuntur, quam pro fortuna, et con-
ditione sua, adeoq; aliter, quam sunt affecti,
hoc est, ubi personæ in fabulis (nam huc spe-
cialiter respicit, quanquam ut significauit, ge-
neraliter accipi debet) aliter loquuntur, q;
conuenit personarum, quas agunt, affecti-
bus, qui sumuntur ex fortuna, & conditio-
ne illarum.

Inter-

COMMENTARIA 33

Intererit multum Daviis ne loquatur, an Heros,
Maturus ne senex, an adhuc florente iuuent*a*
Feruidus, an matrona potens, an sedula nutrix:
Mercator ne uagus, cultor ne uirentis agelli:
Colchus, an Assyrius: Thebis nutritus, an Argis.
Aut famam sequere, aut sibi conuenientia finge
Scriptor. Honoratum si forte reponis Achillem.
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, inuictaq;
Perfidus Ixion, Iò uaga, tristis Orestes.

Hoc præceptum nascitur ex præcedente
ac est uelut species quædā eius. Docet enim
de personarum decoro, quod inclusum est
ijs, quæ pertinent ad apte dicendum. Quid
autem sit poeticum hoc decorum, Cicero
quoq; subindicat in lib. de Officijs. Vbi re-
cte monet hoc à Philosophorum decoro
differre. Nam hoc idem ferè est, quod hone-
stum, illud oratio conueniens cuiq; pro sua
persona, id est, pro sua conditione, mori-
bus, ac studijs siue honesta sint, siue turpia.
Sicut autem conditio ad mores, & studia
multum facit, ita etiam natio, populus, atq;
ipsum genus, & conuersatio cū alijs, ac alijs
hominibus, de quibus rebus plena sunt eru-
ditos.

ditorum scripta . Hęc omnia debet obserua
re , qui uolet poemata scribere , siue personae
sint antea ab alijs tractatæ , siue de nouo uer-
surpentur , idq; aut uere , aut sicut quod per-
tinent sequentia , cum dicitur , Aut famam
sequere , &c.

*Si quid inexpertum scenæ committis , & audes
Personam formare nouam , seruetur ad imum
Qualis ab incepto processerit , & sibi constet .
Difficile est proprie communia dicere : tuq;
Rectius Iliacum carmen deducis in actus ,
Quam si proferres ignota , indicta q; primus .*

Hoc præceptum uult æqualitatem in de-
scriptionibus personarum seruari per om-
nia , præsertim quando singuntur nouæ , &
tractantur ab alijs prius non tractatæ . Mo-
net etiam de huius rei difficultate per com-
parationem , & communia uocat istiusmo-
di materiam , sicut est uidere in exemplo ,
quo hic usus est . Vbi uox , indicta , notari
debet . Intelligenda autem sunt hæc præci-
pue de fabulis , sed obseruanda , & sequenda
etiam in alijs poematis , quantum patitur
materia .

*Publica materies priuati iuris erit , si
Non circa uilem , patulum q; moraberis orbem .
Publi-*

Publicam hic dicit materiam, quæ iam communia dixerat, inexpertum, & personam nouam. Describit autem modum communia faciendi priuata, qui est, ut non circa res uiles, & leues multum uerborum consumatur, sed magnifice magna describatur, obiter parua, hoc est, suo quilibet modo.

Nec uerbum uerbo curabis reddere fidus
Interpres, nec desilies imitator in arctum,
Vnde pedem proferre pudor uetet, aut operis lex.

Quid sit præstandum, quando sumitur ex alijs scriptoribus materia, nec docet hic Horatius de interpretandis, aut uertendis authoribus in aliam linguam, sicut nonnulli putant, & hoc plauftra præceptorum de hac re inuehunt, ac est sententia, nec debes interpretem agere in tractanda materia de sumpta ex alio, nec imitatorem nimis anxi- um, aut sollicitum, sed libere imitari aliena, & sic, ut res pro tuo tractetur arbitrio, & tanquam tua fiat tractatiōe, quod fecerunt ueteres, qui sumpscrunt argumenta ex Hō- mero, nec tamen uidentur aliena tractare. Vox interpres hoc loco imitationis, aut si- militudinis uim habet in structura, & dici-

C tur,

tur, curabis reddere fidus interpres, pro tan
quam fidus interpres, aut agens fidum inter
pretem. Cæterum proferre pedem, signifi-
care se explicare, aut pergere in scribendo.

Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur ineptè:
Dic mihi Musa uirum, capte post tempora Troie,
Qui mores hominum multorum uidit, & urbis.
Non fum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem.
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphaten, Scyllamq; & cū Cyclope Charybdim.

Arrogantia nusquam non est odiosa, in
oratione, in exordijs est odiosissima, pro-
pter hanc præcipue causam, quod in exor-
dijs auditor, aut lector est conciliandus, &
præparandus ad cognoscendum scriptum,
nec ulla re magis alienantur animi, quam
iactantia, & ostentatione: Id hic Horatius
indicat, & iubet uitari talia principia quæ
declarat Cyclici Exordio, quisquis ille fuit,
Non enim constat. Atq; una proponit ue-
recundorum, & bonorum Exordiorum ex
emplum

emplum in Homero, quem scribit lucem ex fumo, hoc est, omnia præstisſe in opere splendidiora, & maiora, quām in principio sit pollicitus. Ita enim sit, ut præter quām quod abest arrogantia, lector etiam uel auditor nouitate rerum subinde, ac splendore exuscitetur, & detineatur. Vocatur autem hoc genus Exordij propositio, quæ præcedit apud latinos inuocationem, apud Græcos sequitur, aut potius cum ea cōmiscetur.

Nec redditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.
Semper ad euentum festinat, & in medias res
Non secus ac notas auditorem rapit: & quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.

Artificium, & rationem huius Poetæ non tantum exordiendi rem ipsam, in operibus (aliud enim est Exordium operum, ut iam est dictum, aliud principium narrationis, aut rerum institutarum tractationis, ut hic dicitur) sed etiam partes operum insigniores explicat Horatius, & simul significat alijs idem seruandū esse in poematis. Quid autem sit, quod hic dicit, Semper ad euentum &c: Vel ex Terentio clare adolescentes, quem plurimum habent in manibus,

C i n t i l l i

intelligunt, non modo quod ad principia fabularum, sed etiam, quod ad plerasque scenas attinet in medijs fabulis, ubi multa saepe omittuntur, & relinquuntur intelligentia: Et ita sane debet fieri. Quis enim alioquin finis esset futurus narrationum, & descriptiōnum?

*Atq; ita mentitur, sic ueris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.*

Tertium praeceptum ex poematis Homericis in hoc loco de miscendis fabulosis cum ueris ita, ut nusquam dissentiant a se partes operum, quod pertinet ad eam rem. Vult autem, ut falsa ubique habeant ueri speciem, ac ita cum ueris congruant, ut non uideantur absurdā, uel a natura rerum abhorrentia.

*Tu quid ego, & populus mecum desideret, audi.
Si plausoris eges aulae a manentis, & usq;
Sessuri, donec cantor, uos plaudite, dicat.
Aetatis cuiusq; notandi sunt tibi mores,
Mobilibusq; decor naturis dandus, & annis.*

Generale praeceptum de seruando ætatum decoro, id est, de accommodando tractandis personis oratione ad ætatum discrimina. Alijs enim rebus, ac studijs tenentur

tur, ac delectantur pueri, alijs adolescentes,
iuuenes, ac senes.

Reddere qui uoceis iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.

Imberbis iuuenis tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusq; & aprici gramine campi,
Cereus in uitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq;, & amata relinquere pernix.

Conuersis studijs ætas, animusq; uirilis
Quærit opes, & amicitias, inferuit honori:
Commisisse cauet, quod mox mutare laboret.

Multa senem circuueniunt incommoda, uel quod
Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet uti:
Vel quod res omneis timide gelideq; ministrat,
Dilator, spe longus, iners, auditusq; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero: censor, castigatorq; minorum.

Describit hic ordine quatuor ætates, pu-
eritiam, adolescentiam, iuuentutem, & sene-
ctutem, ac una modum tractandi personas
Pro hoc discrimine in poematis latenter o-
stendit.

C ij multa

Multa ferunt anni uenientes commoda secum:
 Multa recedentes adimunt. ne forte seniles
 Mandentur iuueni partes, puerοq; viriles,
 Semper in adiunctis, æuoq; morabimur aptis.

Repetitio præcepti generalis, de seruando ætatum decoro.

Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
 Segnius irritant animos demissa per aurem,
 Quām quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & que
 Ipse sibi tradit spectator. non tamen intus
 Digna geri, promes in scenam: multaq; tolles
 Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens.
 Nec pueros coram populo Medea trucidet:
 Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus:
 Aut in auem Progne uertatur, Cadmus in anguent.
 Quodcunq; ostendis mihi sic, incredulus odi.

Quæ sequuntur, aliquot præcepta perti-
 nent ad fabulas tantū, & primum diuidun-
 tur generaliter omnium fabularum argu-
 menta, seu materiæ in ea, quæ aguntur, &
 ea, quæ tantum narrantur, ut sunt gesta, aut
 singuntur gesta. Significat autem hic uer-
 bum, ago, proprie, cum alioqui dicamus
 agere fabulas generaliter pro eo, quod est
 omnia personis exprimere, ut sunt in fabu-
 lis,

lis, siue aguntur, siue referuntur. Quanq̄ ita aguntur etiam, quæ aguntur, ut simul adhibentur uerba. Diuisioni additur sententia, quæ illam explicat, & consentit cū eo, quod Plautus dicit. Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem, & nuncius apud Sophoc. τῶν μὲν πρεγχθέντων ἀλγεσαὸν πάτερει, οὐ γαρδάτεις οὐ πάρει. Sequitur postea præceptum de hac re, Modum esse in agendo seruandum, nec facto etiam exprimenda, quæ habent magnam aliquam, & horribilem fœditatem, siue quia sunt incredibilia, siue crudelia: Poeta maluit hoc in exemplis ostendere.

*Néue minor, quinto neu sit productior actus
Fabula, quæ posci uult, & spectata reponi.*

De numero partium fabulæ præceptum, quod uidemus ubiq̄ seruatum à Terentio, à Plauto non item.

*Nec Deus intersit, nisi dignus uindice nodus
Inciderit.*

Non esse deum introducendū aliquem, nisi res grauissima tractanda sit, quæc̄ non possit humano consilio, aut opera fieri, maxime, si tantum aliquod scelus puniendum

C iiiij sit

fit, aut auertendum periculum, Seruus, &
alijs ueteres Grammatici, ad alia poemata
etiam hoc detorserunt, ne deus imploretur
aliquis in medio opere, nisi res uideatur hu-
manis uiribus non posse explicari, ut Virg:
Voso Calliope, &c.

Nec quarta loqui persona laboret.

Ternarium numerum non esse in collo-
quij personarum excedendum. Videtur
autem hoc ideo præcipi, ne siat rerum, auc-
orationis confusio, & ut auditores non affi-
ciantur inde molestia. Nam ad horum iudi-
tium tota res est referenda. Non est hoc
ubiq; seruatum nec in Terentio, nisi quis ue-
lit hunc locum ita exponere, ut puer Hora-
tium non uetus sit quatuor personas indu-
ci, sed uelle, ne quarta, si quando accesserit
multum, aut sollicitate loquatur, ita, ut sit em-
phasis in uerbo laboret.

*Authoris parteis chorus, officiumq; virile
Defendat, ne quid medios intercinat actus
Quod non proposito conducat, & hæreat apte.
Ille bonis faueatq; & concilietur amice.
Et regat iratos, & amet peccare timenteis.
Ille dapeis laudet mensæ breuis, ille / alubrem
Institiam*

Iustitiam, legesq; & apertis ociis portis.

Ille tegat commissa, deosq; precetur, & oret,

Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Describit officium Chori, qui est in fabula coetus, aut virorum, aut mulierum, nunc ex urbe nunc ex rure, prout materia postulat. Ac fuit olim etiam in Comœdijs usurpatus, non tantum in Tragœdijs, ut sunt in Euripide, Sophocle, Seneca. Interim autem & hic, dum hoc agit, simul docet, ac præcipit de hac parte poematis huius generis. Constituit autem hanc rem in duodecim rebus, ut auctorem defendat, quod etiam vocat virile officium, ut apte interloquantur alijs personis, quæ proprie sunt actores, & pertinent principaliter ad negocium (Est enim Chorus id in fabula, quod in contratu sc̄rē proxeneta) ut sit equus bonis, & ijs placere studeat, & reliqua faciat, quæ sequuntur in textu non obscure.

Tibia non ut nunc orichalco uincta, tubæq;
 Aenula: sed tenuis, simplexq; foramine paucō
 Adspirare, & adesse choris erat utilis, atq;
 Non dum spissa nimis complere sedilia flatu:
 Quo sane populus numerabilis, ut pote paruuſ,
 Et frugi, castusq; uerecundusq; coibat.

C v Post.

Postquam cœpit agros extendere uictor, & urbē
 Latior amplecti murus, uinoq; diurno
 Placari Genius festis impune diebus,
 Accessit numerisq; modisq; licentia maior.
 Indoctus, quid enim saperet, liberq; laborum
 Rusticus, urbano confusus, turpis honesto?
 Sic priscae motumq; & luxuriam addidit arti,
 Tibicen, traxitq; uagus per pulpita uestem.
 Sic etiam fidibus uoces creuere seueris.

Veterum simplicitatem, & modestiam
 in adhibendis tibijs, quæ interponebantur
 actibus, ita commendat, ut tamen excusat
 sui seculi luxum populi multitudine, ac u-
 triusq; rei, tenuiorum tibiarum, & splendi-
 diorum causam exponit paulo prolixius, il-
 larum tenuitatem rei Romanę, harum incre-
 mentum, uires, & potentiam. Porro uestis,
 quam scribit indutum fuisse, & inambu-
 lasse tibicinen per pulpita, σύγχρα græca uo-
 ce dicebatur à longitudine, seu cauda, cuius-
 modi fuerunt opulentarum matronarum
 uestes patrum nostrorum, imò nostra etiam
 memoria.

Et tulit eloquium insolitum facundia præceps:
 Ut iliumq; sagax rerum, & diuina futuri
 Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

Id est

Id est eloquutio creuit simul, & grauitas in oratione adeo, ut pleraque in fabulis nihil ab oraculorum pondere, et maiestate differant. Factum est autem hoc præcipue in Tragoedijs, præsertim Euripidis, in quibus, ut scribit Cicero, singuli uersus sunt ferè singulæ sententiæ.

Carmine qui Tragico uilem certauit ob hircum.
Mox etiam agrestis Satyros nudauit, & asper
Incolui grauitate iocum tentauit, eò quod
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, functusq; sacris, & potus, & exlex.

Verum ita risores, ita commendare dicaceis
Conueniet Satyros, ita uertere seria ludo,
Ne, quicunq; deus, quicunq; adhibebitur heros
Regali conspectus in auro nuper, & ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas:
Aut dum uitat humum, nubeis, & inania captet.
Effutire leueis indigna Tragoedia uersus.

Quæ sequuntur aliquousque, nihil ad hæc
nostra tempora pertinent, possunt tamen
generaliter accommodari per quandam si-
ue translationem, siue communicationem,
siue similitudinem ad modum, & rationem
permiscendorum iocorum cum serijs, &
apte

apte dicendum. Fuit autem olim consuetudo, ut Tragoëdijs poemati seuerissimo adderentur etiam Satyri, quæ non uicia quidem, ut nunc reprehendebant, sed per colloquia Satyrorum, qui introducebantur non alter, quam in Comoëdijs priuati homines, & in Tragoëdijs reges, & principes ferè, unde etiam nomen habent. Ideo autem hæc poemata coniungebantur, ut seueritas alterius dicacitate, iocis, ac salibus, adeoq; ut hominum animi uarie defatigati reficerentur, & exhilerarentur iterum. Nam hoc nomine scribebantur, & edebantur huius generis poemata. Iubet Horatius in hac rem dum seruari sic, ut non fiat confusio poematum, & ut ratio personarum habeatur, hoc est, ne Tragice, et concitate Satyra tractetur, & ne tractetur satyrice Tragoëdia. Observandum hic est, quod hircus fuerit premium Tragoëdorum, id enim significat, ubi dicit :

Carmine qui Tragico uilem certauit ob hircum.

*Vt festis matrona moueri iussa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda proteruis.*

Est similitudo, quæ pertinet ad posteriorem partem superioris precepti de coniungenda

genda Satyra cum Tragoëdia, ne leuisibus
versibus hæc, & quodammodo satyrice tra-
etetur, quod perinde esse dicit, ac si grauis,
& honesta mulier, quæ diebus festis hoc de-
bet facere, saltet in Satyra.

*Non ego inornata, et dominantia nomina solum,
Verbaq; Pisces Satyrorum scriptor amabo:
Nec sic enitar Tragico differre colori
Ut nihil interficit, Dauis ne loquatur, an audax
Pythias emuncto lucrata Simone talentum:
An custos, famulusq; dei Silenus alumni.*

Hoc præceptum est cognatum cum præ-
cedente. Vult enim ut etiam elegantia uer-
borum adhibeatur, neue decorum persona-
rum studio differentiæ faciendæ inter Saty-
ram, & Tragoëdiam negligatur in Satyris.
Puto autem eum ideo duobus exemplis
uti, ut significet, in Satyris etiam priuato-
rum personas induci fuisse solitas, quemad-
modum in Comœdijs. Per nomina domi-
nantia uidetur significare propria, nō trans-
lata: Differre colori Tragico, pro differre à
colore Tragico dicit.

*Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi qui uis
Speret idem: sudet multum, frustraq; laboret*

Aufus

Ausus idem: tantum series, iuncturaq; pollet,
Tantum de medio sumptis accedit honoris.

Quidam hios uersus intelligunt de Co-
mœdia, mihi rectius de Satyra uidetur in-
telligi, cum de hoc poemate in præcedenti-
bus, & sequentibus doceat. Vult autem, ut
materia nota, & communis, quam supra uo-
cauit, sic tractetur, ut magnam elegantiā,
& splendorem consequatur dispositione, &
eloquutione.

Syluis deducti caueant me iudice Fauni,
Ne uelut immati truijs, ac penè forenseſ,
Aut nimium teneris iuuendentur uersibus unquam,
Aut immunda crepent, ignominiosaq; dicta.
Offenduntur enim, quibus est equus, et pater, et res.
Nec, si quid fricti ciceris probat, et nucis emptor,
Aequis accipiunt animis, donantue corona.

Docet iuuenilem leuitatem, & acerbita-
tem in scribenda Satyra fugiendam esse, pro-
pterea, quod ea turpitudine offenduntur ho-
nestiorum ordinum homines, quibus una
significat latenter in primis probari debere
scriptores, nec admodum uulgi, & fecis ho-
minum approbationem captandam esse,
quod

quod faciendum est in hoc genere carminis,
quod fuit licentiosissimum, quanto magis
est faciendum in alijs grauioribus. Notum
est quam s̄epe res obscēnas Ouidius etiam,
et alij poetē lasciuiores uerecunde, ac pudice
describant. Quale hoc in Georg. est apud
Vergilium,

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitali aruo, & sulcos oblitus inertes,
Sed rapiat sitiens Venerem, interiusq; recondat.

Syllaba longa breui subiecta, uocatur Iambus
Pec citus. unde etiam trimetris ad crescere iussit
Nomen Iambeis, cum senos redderet ictus,
Primus ad extremum similis sibi. non ita pridem,
Tardior ut paulo, grauiorq; ueniret ad aureis,
Spondeos stableis in iura paterna recepit
Commodus, & patiens, non ut de sede secunda
Cederet, aut quarta socialiter. hic & in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni.

De Iambico uersu docet hoc loco primo,
quod Trimeter dicatur, & quare sic dica-
tur, qui constat sex Iambis. Habentur au-
tem duo pedes pro uno propter eius celeri-
tatem, aut potius propter huius carminis
celeritatem, in quo tam crebro Iambus ite-
ratur.

ratur. Olim autem in omnibus locis usur-
patus est Iambus, cuiusmodi uersus adhuc
apud Horatiū, & alios inueniuntur. Nunc
satis est in sedibus paribus Iambum poni,
in imparibus ponuntur etiam alijs, sicut ex
empla, & Grammatici docent.

In scenam missos magno cum pondere uersus,
Aut opere celeris nimium, curaq; carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quiuis uidet immodulata poëmata iudex.
Et data Romanis uenia est indigna poëtis.
Iccircōne uager, scribamq; licenter? an omneis
Visuros peccata putem mea? tutus, & intra
Spem ueniae cautus, uitauit deniq; culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria græca
Nocturna uersate manu, uersate diurna.

Non puto hunc locum intelligendum
 esse præcipue de Criticis, sed de ipsis poetis,
 quos dicit premere, hoc est, grauare, & sua
 poemata suspecta facere, si multa, & copio-
 sa prebeant theatris, quod sint aut negligen-
 ter scripta, aut festinanter, aut ineruditæ, uo-
 cabulum pondere accipiendum est pro
 multitudine, aut magnitudine, non profon-
 do, aut pompa, ut sit hic ordo. Premit, sub-
 intelli-

intellige aliquis fabularum scriptor. uersus missos in scenā. i. datos, ut recitentur ad populu in theatro, crīmine, aut opere nīmū celeris, &c. Versus deinde, Nō quiuīs uidet immodulata, &c. obiter monet, quod sit difficile iudicare de sonantibus, & eleganti bus uersibus, siue sit grammaticus, siue poeta ipse, & in sequente uersu, reprehendit indulgentiam, quā traxantur Latini poetæ, ac inde sumit præceptum per quandam geminatam obiectionem de non usurpanda nimia licentia, & addit causam respondens ad priorem partem obiectionis, quod is, qui sit à censura tutus, ac ideo paratam ueniam habeat, non mereatur laudem, & si reprehendi non possit, ac ita hortatur scripturos uersus ad lectionem, & imitationem Græcorum, & recte quidem, cum iñ non solum ingenij, uerum etiam diligentia, studio, & crebro talium rerum usu facile sint perfectissimi, & merito latinorum exemplum.

At nostri proauī Plautinos & numeros, &
Laudauere saleis, nīmū patienter utrungq;
Ne dicam stulte mirati, si modo ego, & uos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto:
Legitimumq; sonum digitis callemus, & aure.

D Nihil

Nihil simul natum est, & perfectum, dicit alicubi Cicero. Quare nihil mirum est, etiam Comœdiam subinde magis, ac magis expolitam fuisse, nec ita sonorum esse Plautum, ut est Terentius, idem accidit in alijs poematis. Quanta est differentia inter Ennium, & Vergilium, Ouidium, & alios Elegiacos scriptores: nec admodum de his Quintiliani magni viri iudicium nos mouere debet, quod nescio quid inter eos natura quoque fuit differentiæ, atque hoc debet intellegi, tantum de illo ueteri, & rudi seculo, & altero, quod est secutum apud Romanos uere aureum in bonis artibus, & sermonis elegantia. Non potest hoc dissimulari, multa agrestiora, & incultiora, & licentiora, non tantum in numeris, uerum in phrasibus quoque, ac uerbis apud Plautū esse, quam apud Terentium, sed hoc temporum est potius, quam personarum. Quare Horatius etiam nō tam Plautum reprehendit, quam iudicium hominum superioris seculi.

Ignotum Tragicæ genus inuenisse Camœnæ
Dicitur, & plaustris uexisse poëmata Thesspis:
Quæ cancerent, agerentque; per uncti fecibus ora.
Post hunc persona, pallæque; repertor honestæ

Aeschylus

Aeschylus, & modicis instrauit pulpitatignis,
Et docuit magnumq; loqui, nitiq; cothurno.

De origine, & incremento Tragoedie
scribit in hoc loco poeta, cum autem dicit,
uxisse poemata, significat uerius tempore
ribus morem suis, ut ex plaustris decanta-
rentur huius generis poemata, in quibus us
cia principum, ciuium notabantur, adeoq;
deorum aliquando, ut apparet ex Aristophane.
Hinc est proverbiu[m] etiam natum,
 $\omega\sigma\tau\epsilon\mu\alpha\delta\eta\varsigma\lambda\alpha\lambda\epsilon\pi$. Solebant autem seden-
tes in curribus actores ora secibus habere il-
lita. Postea sunt inuentae personae, hoc est,
larvae, seu facies ficticiæ, uestes, pulpita, id
est, proscenia, reliquusq; apparatus una
cum oratione grandiore ab Aeschylo.

Succedit uetus his Comedia, non sine multa
Laude, sed in uicium libertas excidit, & uim
Dignam lege regi: lex est accepta, chorusq;
Turpiter obticuit sublato iure nocendi.

De ueteri Comoedie, & eius mutatione
docet. Huius exemplum extat in Aristophan-
is fabulis, immoda fuit eius licentia, ne di-
cam scurrilis, & indigna bene ordinatis Re-
bus pub. Quapropter etiam est sublata, aut

Dij mu-

mutata in eam , qua adhuc utimur , & noua appellatur .

Nil intentatum nostri liquere poetæ,
Nec minimum meruere decus, uestigia Græca
Ausi deferere, & celebrare domestica facta,
Vel qui prætextas, uel qui docuere togatas.
Nec uirtute foret, clarisue potentius armis,
Quam lingua Latium, si non offendet unum
Quenq; poëtarum limæ labor, & mora.

De felicitate Romanorum ingeniorum,
in hac re dicit , & quod tantum corrigendi
labor eis desit , ipse limam uocat metapho-
rice. Illustrat enim & expolit poemata emen-
datio, sicut lima ferrum expolit . Quantus
autem labor sit corrigere cum alijs scripto-
res, tum Ouidius testatur his uersibus,
Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto,

Magnus Aristarcho maior Homerus erat.

Vt interim de cuiuscq; experientia taceam,
prætextas, supple fabulas, dixit hic partici-
pialiter, cum alioqui prætextatas appellant
eas fabulas , quod prætexta nominaliter,
quanquam à uerbo prætexor, uoce partici-
pij , per enallagen sit uestis , unde etiam fa-
ctum est nomen fabulæ.

Vos ò

Pompilius

Pompilius sanguis carmen reprehendite, quod non
 Multa dies, & multa litura coercuit, atq;
 Perfectum decies non castigauit ad unguem.

Est præceptum de corrigendo, non esse
 habendum pro bono poemate, quod non
 sit diligenter emendatum. Certe nostrorum
 temporum poemata ostendunt, quod me-
 diocres, aut etiam infra mediocres aliquan-
 do meliora edant opera præstantissimis, tan-
 tum hanc ob causam, quod illi adhibuerint
 laborem corrigendi, hi non adhibuerint,
 Exempla sunt in promptu, Cæterum, uos
 o Pompilius sanguis dicit per Antiptosin,
 posito nominatio pro uocatio, cuiusmo-
 di est hoc Vergilij, Proje tela manu san-
 guis meus. Et hoc Persij: Vos o Patricius
 sanguis. Verum hoc sit mollius, ubi est eti-
 am appositio figura, ut hic o Pisones, qui
 estis, aut existentes Pompilius sanguis. Por-
 ro, castigauit ad unguem, dictum est meta-
 phorice, ac est sumpta translatio à marmo-
 rarjjs, qui iuncturas unguibus probant, ut
 scribit Seruius exponens istum huic simi-
 lem Vergilij locum. Nec secius omnis in un-
 guem Arboribus positis lecto uia limite
 quadret.

D ij Inge,

Ingenium misera quia fortunatus arte
 Credit, & excludit sanos Helicone poëtas
 Democritus, bona pars non ungueis ponere curat,
 Non barbam, secreta petit loca, balnea uitat.
 Nanciscetur enim pretium, nomenq; poëtæ,
 Si tribus anticyris caput insanabile nunquam
 Tonsori Lycino commiserit.

Non est ironia in hoc loco, nec improba
 tur sententia Democriti, sed quorundam
 stulta imitatio reprehenditur, qui cum audi-
 uissent à Democrito longe ingenium, & na-
 turam arti præponendam esse, quodq; di-
 uino quodam afflatu, id est, singulari pro-
 pensione, ac impetu ad poetiam à natura
 opus esset, prorsus neglexerunt omnem cul-
 tum, & animi & corporis, secq; tum pulchre
 Democriticos poetas esse putauerunt, cum
 tamen hic Philosophus nihil aliud senserit,
 quam Aristoteles, qui ad res excellentes effi-
 ciendas φυσικὴν ἀρετὴν requirit, aut ἀε-
 νοῖτα, nec sufficere ad illas uel studium, uel
 artem, uel exercitationem egregie sentit.
 Idem fuit Platonis, & omnium sanorum de-
 hac re iudicium. Notum est etiam, quid scri-
 bat in hanc sententiam Quintilianus in ῃ.
 lib: cap. xx, cuius haec uerba merito gene-
 raliter,

raliter, & ut oraculum aliquod accipiantur. Nam si parti utrilibet omnino alteram detrahas, natura etiam sine doctrina multum ualebit, doctrina nulla esse sine natura poterit. Sic autem ferè sit, ut homines non modo magnorum virorum uicia imitentur, sed etiam dicta, & precepta secus, quam debebant, intelligunt, ac deflectant in detiorem, aut molliorem partem, si possint. Cæterum caput insanabile tribus Antyciris, dixit pro quod non potest sanari omni helleboro, quod nascitur non tantum in duabus Antyciris, uerum etiam in tertia, si qua esset, per synecdochen, & proverbialiter, sicut hoc apud Iuualem, Tertius è cœlo cecidit Cato, & alibi apud Horat. Sapientum octauus, significat autem insanabilem insaniam.

O ego leuis,

*Qui purgor bilem sub Verni temporis horam.
Non aliis faceret meliora poëmata. uerum
Nil tanti est.*

Hic locus est ironicus. Nam simulat, quod dicit, ideo se non optima poemata facere, quod corpus, & ualitudinem curet, hoc autem significat per bilis purgationem vernam, & ex medicorum sententia, qui ad

D iiiij arcen

arcendos morbos , & conseruandam bo-
nam ualetudinem præcipue conducere hoc
genus purgationis , siue per sanguinis missi-
onem , siue per medicamentum fiat . Ellipsis
est in uersu : Non aliis faceret , &c . ac subin-
telligendum est , nisi hoc facherem , ita in se-
quentibus etiam . Verum nil tanti est , subau-
diri debet , ut corpus , & ualetudinem sic ne-
gligam ,

Ergo fungar uice cotis , acutum
Reddere quæ ferrum ualet exors ipsa secandi .
Munus , & officium nil scribens ipse docebo
Vnde parentur opes : quid alat , formetq; poëtum :
Quid deceat , quid non : quo virtus , quo scrat error .

Conclusio præcedentium & sequentium
propositio . Quatenus autem est conclu-
sio , quiddam ironicū habet , siue quandam
extenuationem poetæ uirium in faciendis
poematis , ac est bis idem dictum figura-
te , & simpliciter , & est sententia . Docebo
alios bona poemata facere , quod ipse non
possum præstare . Dictum autem esse hoc
ironice , uel hic Ouidij uersus monet ,
Quodq; parum nouit nemo docere potest .

Scri-

Scribendi recte sapere est, et principium, et fons,
 Rem tibi Socratice poterunt ostendere chartæ:
 Verbaq; prouisam rem non inuita sequentur.

De rerum cognitione præcipit, ac iubet
 in primis eam comparandam esse, propte-
 rea quod uerba deinde facile, ac sua sponte
 incident perceptis rebus, & hoc est, quod
 Cicero de Oratore scribit: Rerum copi-
 am, uerborum copiam gignere. Sic alicubi
 Quintilianus, uerborum uult esse curam, re-
 rum sollicitudinem. Hunc locum diligen-
 ter considerare debebant nonnulli nomine
 tantum poetæ, non re ipsa, qui, ubi didice-
 rint unum, aut alterum uersiculum compo-
 nere, putant se tantum non Homeros, &
 Virgilios esse, nulla rerum scientia prediti,
 nulla doctrina interioris philosophiæ in-
 structi. Recte sentiunt eruditii Homerum, &
 Vergilium lumina poeticæ nullius disci-
 plinæ ignaros fuisse, adeo, ut illum etiam
 fontem, aut uelut Oceanum quendam ar-
 tium constituerint. Hi sunt imitandi uolen-
 tibus fieri poetis, non una tantum aliqua
 particula, sed toto corpore huius facultatis.
 Cæterum Platonis opera uocat Socraticas
 chartas, quod in eis plurimum de uarijs re-

D v bus

bus differat Socrates, ac intelligit rerum cognitionem, seu philosophiā generaliter per Enallagen, quanç p̄cipuē uideri potest in telligere uoluisse Platonis Philosophiam.

Qui didicit patriæ quid debeat, & quid amicis:
 Quo sit amore parens, quo frater amandus, & ho-
 Quod sit conscripti, quod iudicis officiū: que spes:
 Partes in bellum missi ducis: ille profecto
 Reddere personæ scit conuenientia cuiq;
 Respicer exemplar uitæ, morumq; iubebo
 Doctum imitatorem, & ueras hinc ducere uoces.

Est expositio præcedentium, & est sententia, qui didicit, quod sit officium cuiuscip̄ personæ, adeoç̄ philosophiam de moribus, facile potest in poematis, deinde quamlibet personam tractare, ut conuenit, & hoc generaliter, ac aliter, quām, quod supra scribit de personis, intelligi debet. Supra enim de poetico decoro, hic loquitur de philosophico, ac longe aliud est Achillis personam describere, aliud ducis generaliter, id quod fit sæpe, cum singuntur personæ, aut docentur homines de officijs, ac ostenditur in poematis, quid fieri debeat, non quid fiat. Qui autem sequuntur uersus, Respicer exemplar, &c., de poetico etiam decoro possunt accipi

accipi. Cæterum exemplar uite, & morum
pro ipsa uita, & moribus, quæ imitemur,
ut exemplum, dicit eodem modo, quo su-
pra exemplaria græca posuit, pro libris, aut
scriptis Græcorum imitandis, ut exem-
plum, siue exemplar, non enim facio nunc
inter hæc differentiam, quæ, si qua est, ex
Valla sumi debet.

Interdum speciosa iocis, morataq; recte
Fabula nullius Veneris, sine pondere et arte,
Valdius oblectat populum, meliusq; moratur,
Quam uersus in opes rerum, nugaeq; canoræ.

Cohærent hi uersus cum præcedentibus,
& sunt uelut amplificatio illorum per col-
lationem. Confert autem rudia, & inculta,
res tamen liabentia cum inanibus, & rebus
carentibus poematis, in speciem tamen, &
uerborum structura, numerisq; blandienti-
bus, & hæc ut debet, illis præfert.

Grajs ingenium, Grajs dedit ore rotundo
Musæ loqui, præter laudem nullius auaris.

Romani pueri longis rationibus assēm
Discunt in parteis centum diducere. Dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Uncia, quid superat? poteras dixisse triens. Oe
Rem poteris seruare tuam, reddit uncia: quid sit?
Semis

Semis . ad hæc animos erugo , & cura peculi ,
 Cum semel imbuerit , speramus carmina fangi
 Posse linenda cedro , & leui seruanda cupresso ?

Comparatio Græcorum , & Latinorum
 obiter inspersa , Commendantur autem græ
 ci à studio bonarum artium , & laudis , Ro-
 mani reprehenduntur propter avaritiam ,
 & ostenditur , non esse mirum , quod in his
 moribus literæ , & meliores disciplinæ ne-
 gligantur , præsertim poetica . Potest idem
 plane dici de nostris hominibus , ante alios
 tamen , qui habitant in maioribus ciuitati-
 bus , & in quibus sunt emporia . Nam in ta-
 libus locis nil ferè , præter pecuniam , & lu-
 crum est dulce . Sic Ouidius dicit . At nunc
 barbaria est grandis habere nihil . Discunt
 assem diducere , id est , discunt artem nume-
 randi , ad minutissimas etiam partes , minu-
 tias nunc uocant . Sunt autem partium diui-
 siones , & suppitationes , Ita centesima pars
 assis sunt uncie pars octaua cū octauæ quar-
 ta . Dixit assem ideo poeta , quod esset hoc ge-
 nerale uocabulum ad omnes rationes , Cen-
 tum , uero pro multis , aut minutis figurate ,
 nec debet hoc , ut existimo contrahi ad cen-
 tesimarum usurarum angustias . Dicat ad-
 desi ,

desi . Filius Albini, pro quo quis magistro Arithmeticæ . Superat, pro superest, ut Virgil. Superat ne, & uescitur aura ethereæ: Eru go, id est, morbus, uicium per metaphoram. Carmina linenda Cedro, & leui seruanda cupresso , uocat durabilia, quod insignia scripta in harum arborum ligna includi consueuerunt, ut puto, et papyrus, aut membrana, quibus inscriebantur, cupressi oleo perungi . Nam cedri oleo peruncta materies, ut docet Plinius , nec tineam, nec cariem sentit.

*Aut prodeſſe uolunt, aut delectare poētæ:
Aut ſimul & iucunda, & idonea dicere uitæ.*

Duo officia poetarum hic recitantur, & in posteriore uersu repetuntur, quæ in præcedenti iam erant dicta. Profundent enim idonea, & delectant iucunda, & contra.

*Quicquid præcipes, eſto breuis: ut cito dicitur.
Percipient animi dociles, teneantq; fideles.
Omne ſuperuacuum pleno de pectore manat.*

Egregium præceptum de seruando modo inter longum, & breue in præcipiendo, atq; adduntur utriusq; extremorum incommoda, propter quæ illa iubet caueri.

Ficta

*Ficta uoluptatis causa sunt proxima ueris.
Nec quodcunq; uolet, poscat sibi fabula credi:
Neu pransæ Lamiae uiuum puerum extrahat alio.*

Ita uoluptati studendum esse in tractan-
dis fabulis, ut non omnino à uero disceda-
tur, sicut fieret, si quis fingeret à lamia deuo-
ratum puerum, deinde iterum ex eius uentre
uiuum extrahi. Puto autem Lamias esse
mulieres ueneficas eas, quas Sextus Pompe-
ius etiam Striges, & uolaticas appellari scri-
bit. Sunt adhuc apud Christianos, et dicunt
eas in aere iter facere, aut arrietibus insiden-
tes magna spatia confidere celerrime, ac ita
sepe uel nolentes abduci, qui ab alijs perdite
amentur. Nostri Sagas appellant nō recte,
ut puto, cum sagis nomen sit à sagiendo, id
est, præsciendo, seu diuinando. Jam autem
illæ non à diuinationibus, sed à ueneficijs
sunt celebres. Discernit hæc etiam uernacu-
la nostra lingua, & iisdem notis. Suidas La-
miam scribit ex Doride quopiam fuisse mu-
lierem quandam pulchram in Lybia, cum
qua cum Iuppiter concubuisset, à Junone
zelotypa liberos eius necatos fuisse. Hinc
factam esse deformem, & raptos alienos pue-
ros per-

ros perdere. In hanc sententiam & Hesychius quædam annotauit.

*Centuriæ seniorum agitant expertia frugis:
Celsi præter cuncta austera poëmata Rhamnes.*

*Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterq; monendo.
Hic meret æra liber Sosij, hic & mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat æuum.*

Permitte esse in poematis hæc duo, utilitatem, & suavitatem, propterea, quod natu grandiores negligant utilitatis experientia, minores ea, quæ nihil iucunditatis continent, in quibus uero conjuncta hæc sint, his facile utrosq; oblectari, & detineri, hæc in precio esse, late spargi etiam in transmarina loca, nomen authoris, & memoriam diu conseruari inter homines.

*Sunt delicta tamen, quibus ignouisse uelimus:
Nā neq; chorda sonū reddit, quē uult manus et mēs,
Poscentiq; grauem persæpe remittit acutum:
Nec semper feriet quodcunq; minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura. quid ergo?
Ut scriptor si peccat idem librarius usq;*

Quamuis

Quamuis est monitus, uenia caret: ut cytharœdus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:
Sic mihi qui multum cessat, fit Cherilus ille,
Quem bis, terq; bonum cum risu miror, & idem
Indignor: quandoq; bonus dormitat Homerus.
Verum opere in longo fas est obrepere somnum.

Occupatio. Potuisset enim ob̄h̄ci, nimiris
exacta poemata requiris, & diligentia non
humanam, sed diuinam. Respondet. Ignor-
scendum est nonnullis erroribus, ijs, ut seque-
tur, qui rari, & pauci, bona alioqui, & ma-
gna opera irrepserunt, aut communis omni-
bus hominibus negligentia, aut humana in-
firmitate: utitur ad hoc duobus similitudi-
nibus, altera à cytharœdo, altera à sagitta-
rio, qui peritissimi quoq; nonnunquam er-
rant. Humanum enim est errare, ut inquit
Cicero. Et Plinius putat neminem esse, qui
sapiat omnibus horis, Verum, si quis cre-
brius peccet, quam recte faciat, ei non po-
test uenia dari. Hic utitur etiam duabus si-
militudinibus, librarij, quem ipsi librarium
scriptorem uocat substantiuo addito, & est,
qui libros describit, quales nunc sunt Typo-
graphi, sed alia ratione, deinde ludentis fidi-
bus, item exemplo Cherili mali poetæ, qui
carus

COMMENTARIA. 69

carus fuit Alexandro Magno , sicut in ij. libro Epistolarum scribitur, his uersibus,
Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Choerilus, in cultis qui uersibus, & male natis
Rettulit acceptos regale numisma Philippos.
De hoc poeta uide Suidam etiam.

Vt pictura Poesis erit: quæ si proprius stes,
Te capiet magis, & quædam si longius abs'es.
Hæc amat obscurum: uolet hæc sub luce uideri,
Iudicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.

Diuersitatem hic poematum quandam explicat per collationem poesis, & picturæ. Sicut enim picturarum aliæ magis in propinquo, ac luce placent: ita poematum alia cum obiter leguntur, uel audiuntur, plus delectant, quam cum repetuntur, & expenduntur, alia contra magis delectant bene considerata, & penitus perspecta, quam negligenter, aut obiter cognita. Fit hoc non solum in poematis, & picturis, uerum etiam in alijs rebus, ita, ut nemo sit, qui hoc non aliquando experientur, præsertim, qui mediocriter ualeat ingenio, & usu rerum. Porro sicut Horat. hoc loco poesim, siue

E poema-

poemata, nulla enim est hic differentia, cum
pictura consert. Ita Plutarchus alicubi scri-
bit Simonidem solitum fuisse dicere, τὴν
χωραφίαν τοῖσιν σιωπῶσιν, τὴνδὲ
τοῖσιν χωραφίαν λαλῆσσιν. Et addit cau-
sam, ubi inter cetera scribit hæc duo mate-
ria tantum, & modo imitationis differre, si-
nem utriscq; eandem propositam esse, pro-
pterea, quod altera coloribus, & figuris, al-
tera nominibus, & orationibus res patesa-
ciunt.

O maior iuuenum, quamuis & uoce paterna
Fingeris ad rectum, & per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium, & tolerabile rebus
Recte concedi. consultus iuris, & actor
Causarum mediocris, abest uirtute diserti
Messalæ, nec scit quantum Casselius Aulus,
Sed tamen in pretio est: mediocribus esse poëtis
Non homines, non dij, non concessere columnæ.

In alijs facultatibus, & artibus mediocri-
tatem etiam laudabilem esse, in poetica ni-
hil nisi excellens, & summū, ac ne quidē poe-
tam dicendum esse, qui non superat medio-
critatem. Hoc tamen ita intelligendum est,
ut non pugnet cum ijs, quæ paulo ante sunt
dicta, ubi quædam uicia conceduntur, seu
condo-

condonantur poëtis. Non enim unum & alterum erratum eam uim habet, ut ad medio cre, aut imum dejectat, cum poeta sit homo, non deus. Quare humanam excellentiam, & perfectionem requirit poeta, hoc est, quæ cadit in hominis naturam, nec potest hæc res certis regulis, aut præceptis comprehendi. In exemplis ueterum, & approbatione sapientum, & doctorum est posita. Columnæ, id est, loca, in quibus poemata per Syneccochen, & auxelin, seu hyperbolent. Mel sala, & Casselius nomina sunt excellentium Iurisconsultorum. Alloquitur autem initio huius loci alterum, & maiorem ex Pisonibus filijs, quibus opus hoc scripsit.

*Vt gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, & Sardo cū melle papauer
Ofrindunt, poterat duci, quia cœna sine istis,
Sic animis natum, inuentumq; poëma iuuandis,
Si paulum summo discessit, uergit ad imum.*

Explicat iam dicta similitudine, sicut in mensa leuia grauiter offendit, ita in poema te, quicquid à perfectione discedit in imum dejectit poema, & totum deformat. Quomo do autem hoc sit accipiendum, nunc est ex-
E ij pos-

positum. Quid sit mel Sardum, declarat uer
sus Verg. in ix. Eglo.

Sic tua Cyrenæas fugiant examina taxos.

Et ibi Seruius. Nam Sardiniam Græci, au
thore Plinio : Cyrnum appellauerunt, Ser
uius Cyrenen habet.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusq; pilæ, disciue, trochiue quiescit,
Ne spissæ risum tollant impunè coronæ.

Qui nescit, uersus tamen audet fingere. quid ni?

Liber & ingenuus, præsertim censu s equestrem
Summam nummorum, uicioq; remotus ab omni.

Tu nihil inuita dices, faciesq; Minerua.

Id tibi iudicium est, ea mens, si quid tamen olim

Scriperis, in Metij descendat iudicis aureis,

Et patris, & nostras, nonumq; prematur in annum

Membranis intus positis delere licebit

Quod non ædideris . nescit uox missa reuerti.

Pergit locum de ui, & natura Carminis,
ac uatis institutum ad maiorem Pilonis si
lium (quia singulariter ut existimo, idoneus
fuit ad studium poeticæ) exponere. Docet
autem primo generaliter , nemini suscipien
dū esse hunc scribendorum carminum labo
rem , nisi , qui didicerit eam artem, ac uitetur
argu-

argumento ex minore , cū indignatione. In
 senioribus rebus tractandis nemo admouet
 manus , & poeticam audent exercere , qui nō
 didicerunt , quasi diceret , certe hoc indignū
 est. Et addit objectionem de generis hone-
 state , moribus , & opibus : Cui responderet
 specialiter accommodans orationem ad Pī
 sonem , ac præcipit ei , ne sibi fidat , etiamsi
 ad hanc facultatem sit aptus , ac eam exer-
 cuerit , sed alijs (quosdam hic nominat) spe-
 ctandum , & iudicandum exhibeat , si quid
 composuerit. Vbi tempus etiam domiri reti-
 nendi , ac poliendi operis præstituit , quod
 ut est insigne et laudabile præceptum , ideoq;
 à Quintiliano etiam usurpatum , ita surdis
 hoc tempore canitur. Sequitur hoc insigne
 præceptum insignis ratio bis tractata , ut
 sit in hoc poeta simpliciter , & allegorice.
 Nam sicut uox , aut uerbum emissum non
 potest esse non emissum , ita liber semel in pu-
 blicum datus , non potest iterum fieri priua-
 tus , aut proprius. Utitur simili figura in
 epistolis . Et semelmissum uolat irreuoca-
 bile uerbum . Inuita Minerua , id est , repu-
 gnante natura , sicut exponit alicubi Cice-
 ro , si recte memini . Id tibi iudicium , scilicet
 etiamsi est.

E iiij Sylue-

Sylvestris homines sacer, interpresq; deorum
 Cædibus, & uictu foedo deterruit Orpheus,
 Dictus ab hoc lumen tigreis, rabidosq; leones:
 Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
 Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
 Ducere quò uellet. fuit hæc sapientia quondam,
 Publica priuatis secernere, sacra profanis,
 Concubitu prohibere uago, dare iura maritis.
 Oppida moliri, leges incidere ligno.

Sic honor, & nomen diuinis uatibus, atq;
 Carminibus uenit. post hos insignis Homerus,
 Tyrtaeusq; mareis animos in martia bella
 Versibus exacuit. dictæ per carmina sortes,
 Et uitæ monstrata uia est: & gratia regum
 Pieris tentata modis, ludusq; repertus,
 Et longorum operum finis, ne forte pudori
 Sit tibi Musa lyræ solers, & cantor Apollo.

De laudibus, dignitate, & origine poeti-
 ces hic tractatur. Primo, expositione dua-
 rum fabularum Orphei, & Amphionis, de
 quibus dicit hæc esse conficta, quod homi-
 nibus poetica, id est, doctrina, & sapientia
 singulariter profuerint. Deinde, quod hæc
 fuerit olim sapientia, quodq; sapientia, &
 poetica idem fuerint Homerum deinde, &
 Tyrteum secutos, qui ad bella homines in-
 citauerunt.

citauerint hac facultate. Quod autem h̄dem fuerint uetustissimis illis temporibus poetae, & sapientes, author est Quintilianus, & Strabo primo libro Geograph. Quintilianus addit his & Musicos, ac insuper exponit Orphei fabulam, sed paulo aliter, quam hic est exposita. Vide libro primo, cap. xvij. Dicit etiam oracula carmine prescribi consueuisse. Item præcepta de bene, & beate uiuendo, regum, id est, magnorum virorum gesta, & laudes, ut sit in Heroicis, Panegyricis, & Lyricis poematis nonnunquam, ac fabulas ipse ludum uocat. Intelligit autem præcipue Satyras, & Comœdias adeoq; alia, quibus animi recreentur. A laboribus, id quod ad omne genus carminis referri potest, si lectio consideretur, si actio ad fabulas tantum. Hunc locum finit occulta adhortatione Pisonis illius ad studium poeticæ.

Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quæsum est. ego nec studium sine diuite uena,
Nec rude quid prospic video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multatulit, fecitq; puer, sudauit & alsit:

E iiiij Abst.

Abstinuit Venere, & uino, qui Pythia cantat
 Tibicen, didicit prius, extimuitq; magistrum.
 Nunc satis est dixisse, ego mira poemata pango.
 Occupet extremum scabies. mihi turpi relinquere est,
 Et quod non didici, sane nescire fateri.

Respondetur hic obiter ad quæstionem,
 plus ne ualeat ars ad facienda poemata, an
 ingenium, quod neutrūm sine altero sus-
 ficiat. Quanquam enim recte ab Ouidio di-
 cūm est,

Est deus in nobis agitante, calescimus illo,

Impetus hic sacræ seminamentis habet.

Vt alibi.

Sedibus æthereis spiritus ille uenit,

Verissimum tamen est, quod ex Agathone
 Aristot. citat, τέχνη τύχη γέγενε, ή τύχη
 τέχνη. Ideoq; non immerito iubemur ue-
 teri Græcorum prouerbio, σὺν Ἀθηναῖς καὶ
 χρήσταις. Est enim ars, & exercitatio ue-
 lut expolitio quædam naturæ, & sicut om-
 nis generis materiæ, quantumuis etiam per-
 se sint preciosæ, ab artificib; tractatæ, &
 formatæ gratiōres siunt, & meliores, quām
 rudes erant, ita ingenij quoq; accidit. Mul-
 tum ornamenti, & commendationis ad-
 dit eis artificium, tractatio, & usus. Hinc
 sequi-

sequitur obiurgatio poetarum illius temporis, quo putabant uulgo satis esse dicere, quod essent poetæ, & non diu laterent, sed quomodo cuncti hoc fieret, non essent postremi in Catalogo poetarum, quod hoc tantum turpe haberetur, & fateri inscitiam. Hanc autem indignitatem ostendit duabus exemplis à minore, alterum ab eo, qui cursu certat, alterum à tibicine, qui canebat hymnos Apollinis in Pythijs, uno ex quatuor totius Græciæ certaminibus. Siue autem is Pindari carmina cecinerit, siue alia, nihil huc pertinet. Ac non est hoc intelligendum, ut puto, de ipso Pindaro. Quis enim Pindarum, aut alium poetam tibicinēn appelleret.

*Vt præco ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores iubet ad lucrum ire poëta
Diues agris, diues positis in fœnore nummis.*

*Si uero est, unctum qui recte ponere possit,
Et spondere leui pro paupere, et eripere atris
Litibus implicitum, mirabor si sciet inter
Noscere mendacem, uerumq; beatus amicum.*

Hæc pertinent ad præcedentem obiurgationem poetarum. Vitup erat autem in eis

E v hic

hic φιλοκολαιαῖα, quod adhibeāt sibi adulatores, operum suorum iudices, qui nihil non solent probare, & admirari in ijs, quibus dant suam in hac re operam, præsertim si paulo tractentur mollius, & delicatus, in uitentur ad balnea, uel conuiua, si iuuentur oppressi ære alieno, aut ex iudiciorum periculis liberentur. Ad hoc autem utitur quadam similitudine, quod non aliter ad se uocent poetæ censores, quam prece emptores blanditijs, & pollicitationibus, aut spe alicuius lucri.

Tu seu donaris, seu quid donare uoles cui,
 Nolito ad uersus tibi factos ducere plenum
 Læticæ clamabit enim pulchre, bene, recte,
 Pallescet super his: etiam stillabit amicis
 Ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram.
 Ut qui conduicti plorant in funere, dicunt,
 Et faciunt probè plura dolentibus ex animo, sic
 Derisor uero plus laudatore mouetur.

Nascitur ex præcedente obiurgatione
 hoc præceptum, in quo iubet Pisonem ca-
 uere adulatores, & eos, quibus aliquid uelit
 donare, non adhibeat sibi iudices suorum
 operum

Operum, propterea, quod acceptis donis,
 animi non sint amplius liberi propemo-
 dum, & qui acceperunt ea, serè non audens
 aliter facere, aut dicere, quām eos putant uel
 le, à quibus data sunt. Et hoc est, quod Mar-
 tialis dixit, quod dona imitentur hamos,
 id est, captent maius donum. Hoc tamen
 tantum fit inter sordidos, & φιλοκόλακες,
 qui tamen plurimi sunt, etiam hoc tempo-
 re, ac utinam hoc præceptum apud omnes
 plurimum ualeret in omni genere uitę, non
 modo in hoc poetarum, aut aliorum ordi-
 ne, quem tamen ut præcipue deformat, ita
 saepe grauiter oppugnat, Pulchre autē unā
 hic describitur assentatorum simulatio, me-
 ritos appellantur derisores. Quid enim ali-
 ud est contra iudicium animi laudare, uen-
 tris causa, quam deridere tacite stulticiam
 Thrasonicā, aut immodicā φιλαντίαν?

Reges dicuntur multis urgere cululis,
 Et torquere mero, quem perfrexusse laborent
 An sit amicitia dignus, si carmina condes,
 Nunquam te fallant animi sub uulpe latentes.

Vult Pisonem diligenter adulatores ex-
 plorare, ac in eo reges imitari, qui soleant
 inebria

inebriare, quorum animos uolunt spectato habere. Nam, ut dici solet, in uino ueritas, & Theognis *Αὐλός δὲ οἶνος ἐλέγει ναοῦ*. Item Horatius in Epistol. Quid non ebrietas designat, operta recludit? Animi sub uulpe latentes, id est, recti uulpina astutia, simulatores, & callidi.

Quintilio si quid recitares, corrige sodes
Hoc aiebat, & hoc melius te posse negares.
Bis, terque expertum frustra delere iubebat.
Et male tornatos incidi reddere uersus.
Si defendere delictum, quam uertere malles,
Nullum ultra uerbum, aut opera sumebat iranem,
Quin sine riuali teque & tua solus amares.

Proponit exemplum ueri, & candidi censoris in Quintilio Varo poeta, ad quem scribit Odam primo libro carminum, ac non est L. Varius, cuius in eodem libro facit honorificam mentionem. Est autem talis iudicis officium libere indicare suam sententiam de toto poemate, & omnibus eius partibus. Quid sit aptum, quid sit ineptum, quid cultum, quid incultum, quid plenum, quid ieunum, quid proprium, quid impro-

improprium, quid lene, & uelut mollius,
 quid asperum, & durum, quid grande,
 quid redundans, quid humile, quid abie-
 ctum, & uile, quæ sint mutanda, quæ abij-
 cienda, quæ augenda, & alia omnia dicere,
 quæ pertinent ad laudem, & uituperatio-
 nem poematis pro suis uiribus, & fideliter.
 Est hic structura obseruanda, & in alteris
 clausulis esse Enallagen Modi ita, ut (aie-
 bat) sit positum pro diceret, non enim di-
 cimus, aieret, iubebat, pro iuberet, sume-
 bat, pro sumeret, Cæterum tornatos dicit
 metaphorice pro factos, uel scriptos.

*Vir bonus et prudens uersus reprehēdet inerteis,
 Culpabit duros, incompitis allinet atrum
 Transuerso calamo signum, ambitiosa recidet
 Ornamenta, parum claris lucem dare coget:
 Arguet ambiguè dictum, mutanda notabit.
 Fiet Aristarchus, nec dicet, cur ego amicum
 Offendam in nugis?*

Idem hic dicit, quod iam est dictum, &
 præceptum oblique in exemplo Vari, sed
 generaliter enumerat aliquot partes officiū
 boni censoris, uti nos modo fecimus, & ta-
 men

men reuocat hanc generalitatem ad specia-
litatem Aristarchi. Utitur etiam Antithe-
to, cum addit, Nec dicet, cur ego ami-
cum, &c. Ex qua deinde interrogatione du-
cit reliqua omnia, quæ dicuntur, ad finem
usq; huius libelli.

Hæ nuga seria ducent
In mala derisum semel, exceptumq; sinistrè.

Subiectio, quod non sit res ita parua, ut
uideatur amico parcere, nolle eum offendere
ostendendis uicij s carminū, sed inde oriri
magna mala.

Vt mala quem scabies, aut morbus regius urget,
Aut phanaticus error, & iracunda Diana.
Vesanum tetigisse timent, fugiuntq; poëtam,
Qui sapiunt: agitant pueri, incauti q; sequuntur.

Hæc adduntur præcedentibus ut causa,
& incipit hic enumerare Horatius mala,
quæ comitanur hanc indulgentiam, qua
tractantur aliquando à Criticis poetæ, cum
eis parcunt, ac nolunt amicos offendere in
re tam leui, ut uidetur, & est sententia.
Quemadmodum furiosos, et morbidos su-
giunt,

giunt, & uitant prudentes, & cauti pueri, & incauti, qui non intelligunt periculum, aut soeditatem, primo tantum eos accedunt, & sequuntur. Morbus regius autem est, quem arquatum etiam uocant. Cornelius Celsus inde sic dictum putat, quod indigeat sumptuosa, & propemodum regia curatione. Fanaticus error est fatidicorum insania. Ira cunda Diana, pro quo quis furore, quem dij solent irati hominibus immittere, accipiatur. Est itaq; primum incommodum, quod sequitur hanc indulgentiam, contempsus.

*Hic, dum sublimis uersus ructatur, & errat.
Si, ueluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foue àmue, licet succurrite longum
Clamet Iò ciues, non sit, qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre, & demittere funem.*

Secundum malum est auxiliū priuatio. Nam, qui semel, atq; iterum in manifestum errorem incidit, nec sibi cauet, in posterum habetur pro insanabili, & eo, qui uolens pereat. Hoc ornatum est similitudine alicupis, qui tendens aubus insidias, in fouam incidit, ac à nemine extrahitur, etiam si fortiter

fortiter imploret hominum auxilium, &
Si quis uelit opem ferre, impediatur à suspi-
cantibus, quod uolens eò se demiserit, ac ue-
lit perire. Conueniunt cum hoc loco ea,
quæ in primo libro Epistolarum de Plano
scribuntur ad Sæuam, Licet succurrite, sub
intellige, is, uel qui, Si quis curet opem, &c.
deest, &, uel, at, uel similis particula.

*Qui scis, an prudens huc se deiecerit, atq;
Seruari nolit? dicam. Siculiq; poetæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupid Empedocles, ardenter frigidus Aetnam
Infiluit.*

Subintelligendum est, ego dixero, potest
hoc etiam referri ad alium, qui adeat. Sed ita
essent hæc per Mimesin dicta. Vnā cum īs
omnibus, quæ sequuntur usq; ad finem li-
ibri, aut ad eum ipsum, qui uelit opem fer-
re, ut secum fingeretur loqui, & maneret,
Mimesis. Mihi placet prima expositio. De
Empedoclis morte non eodem modo scri-
bunt authores, inueniuntur tamē, qui cum
Horatio sentiant,

*Sicut, liceatq; perire poetis.
In ritum qui seruat, idem facit occidenti.*

Accom-

COMMENTARIA 2

Accommodat utrumque exemplum Auctis
pis, & Empedoclis ad suum institutum per
quandam indignationem . Et sequitur in
proximo uersu probatio generalis , ac pro
illorum sententia , qui putant licere homini
seipsum occidere , cum libeat , nec est opus
Landini subtilitate , qui refert hoc ad occi
denti rationem , quem seruare nefas esse
non minus , quam alium occidere signifi
cat . Non enim occidentis ratio , & eius , qui
occiditur in eo , qui seipsum occidit , separa
ri possunt , præsertim , quod ad seruato
rem attinet , qui tam seruat eum , cui fit iniu
ria , quam eum , qui eam infert , ita ut non
minus recte , immo rectius faciat in altero ,
quam in altero peruersius .

Nec semel hoc fecit : nec si retractus erit , iam
Fiet homo , et ponet famosæ mortis amorem .

Aliud malum , quanquam est inclusum
huic responsioni , seu Mimesi , quæ ad prece
dens malum pertinet . Est autem insanabi
lis ambitio . Famosæ , hic est μετογή pro affec
tentis famam , siue bona sit , siue mala .

Nec satis appareat , cur uersus factitet : utrum
Minxerit in patrios cineres , an triste bidental .

F. Moue-

Mouerit incestus: certe furit, ac uelut ursus
 Obiectos caueæ ualuit si frangere clathros.
 Indoctum, doctumq; fugat recitator acerbis.
 Quem uero arripuit, tenet, occiditq; legendo,
 Non missura cutem nisi plena cruoris irudo.

Vnde sit hic furor dicit incertum esse, ni-
 si quod deos iratos habeat propter aliquod
 scelus, ut est uiolare paternum sepulchrum,
 aut bidental, hoc est, templum ab eo quod
 bidentes, id est, oues in eo mactarentur, ut
 uult S. Pomp. Incestus hic adiectiu ponitur.
 In reliquis uersibus insaniam talis poe-
 tæ, qui ex illis initij (nugas uocauit) per-
 uenit in tantam insaniam, ut surat, ut con-
 clusus ursus, ut in quoslibet faciat impe-
 rum, & comprehensos non dimittat prius,
 quam eos recitandis uersibus occiderit,
 id est, affecerit ingenti molestia per hy-
 perbolèn, & satisfecerit suæ libidini. Hoc
 enim est, quod dicit per allegoriam: Non
 missura cutem, nisi plena cruoris irudo.

Clathroshic posuit pro cancellis, aut
 repagulis, & est græca uox κλῆ
 θεογ̄ paululum de-
 mutata.

F I N I S.

Q. HORATII FLACCI

Vita per Cantalicum, carmine Heroico

Si quis erit, Quinti uitam cognoscere Flacci
Qui uelit, hæc infra carmina pauca legat.
Edidit hunc uatem claris octaua decembris
Torquati & Cottæ fascibus alma dies.
Sed fuit ex humili natus præcone parente,
Qui libertinæ conditionis erat.
Attamen erexit fortuna urgente disertum
Virtutis uera nobilitate caput.
An fuerit Lucanus an Appulus, ipse recensens
Ambigit: haud dubie sed Venusinus erat.
Est ubi patre pio teneris nutritus in annis:
Ingenij magno preeditus igne puer.
Mox etiam ductus cura genitoris ad urbem,
Vasit in egregium docta per ora uirum.
Inde bonus causa sophiæ migravit Athenas:
Ne quod inexpertum linqueret artis opus.
Iuuit ubi in primis Epicuri incumbere sectæ,
Dum furor, atq; animus dum iuuenilis erat.
Post grauior sapiens Academi ad dogma rediuit,
Ut rectum studij prosequeretur iter.
Concuso sed enim bellis ciuilibus orbe,
Ipse quoq; instituit Martia castra sequi.
Sed pius & placide quia libertatis amicus,
Sub Bruto contra Cæsar is armæ fuit.

F ij A quo

A quo pro meritis decoratus in ordine, gesit
Clara potestatis dona tribunitiae.
Ad paupertatem Bruto per eunte redactus,
Ocia pierijs reddidit inde choris.
Factus et hinc Vero socius, magnoq; Maroni,
In Mecoenatis floruit ille sinu.
Quo duce amicitiam, ueniamq; à Cæsare culpa
Promeruit, reliquos et sine lite dies.
Sed quum iam uitæ bis septem tempora lustris
Tangeret, in uiso reddidit ossa solo.
Et Mecoenatis prope molliter ossa sepultus
Occubat urbanis Flaccus in Exquilijs.
Paruus erat, lippus, pleno sed corpore obesus;
Et frugi, et parcus, ambitione carens:
Integer, et facilis, prudens, suribundus, amicus;
Corda tamen gesit prona libidinibus.
Tradidit è medio Græcorum fonte receptam
Pyndaricam Latio primus in orbe lyram.
Ad quam bis binos cantauit in ordine libros,
Et cum seclorum carmine scripsit Epos.
Vnius et uatem formauit in arte libelli,
Quo nullum melius uatibus extat opus,
Deq; duos etiam morali dogmate plenos
Fecit Epistolijs, de Satyrisq; duos.
Quæ lege qui uitam cupis informare per artes,
Et ueterum sapiens ethica quisquis amat.

F I N I S.

ARGENTORATI APVD CRA=

TONEM MYLIVM, AN.

M. D. XLIII.

MENSE SEPTEMB.

1816260.



